



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XII. Iacobi Vitriaci Cardinalis, & Episcopi Aconensis testimonium de
Ordine Humiliatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

auctoritate Pontificia, extinctus est ordo, cuius Præposituræ erant nonaginta quatuor, quarum annui proventus triginta millium aureorum summam efficiebant. Porro in toto ordine monachi erant centum septuaginta quatuor, quos ex ipsis facultatibus, distributis in victum monasticum, sustentari Pontifex iussit, & in religiosa disciplina Episcoporum cura contineri.

Locum porro, in quo sanctus Ioannes vixit apud Comum, post extinctum ordinem Humiliatorum, Clerici Somaschenses hodie tenent: vt tradit Ferrarius in Catalogo SS Italiae. Vocatur is, nisi fallor, *Rondinetum*, primaria olim Ordinis sedes, in diocesi Comensi. De Somaschensibus vide infra lib. 4.

CAPVT XII.

*Iacobi Vitriaci, Cardinalis & Episcopi
Aconensis, testimonium de
ordine Humiliato-
rum.*

SUNT quædam in Italia, & maximè in partibus Lombardiæ, virorum & mulierum regulariter viuientium congregationes, quos *Humiliatos* appellant; eò quòd in paupertate & asperitate habitus, & gestus exterioris compositione, & morum grauitate, & in omnibus verbis & operibus suis magnum ostendant

dant humilitatis exemplum. Viuunt autem in communi, ex magna parte de labore manuum suarum. Non enim multos habent redditus vel possessiones, nec cuiquam illorum licet aliquid proprium possidere. Omnes horas canonicas diebus & noctibus laici sicut & clerici non prætermittunt: ferè enim omnes litterati sunt. Qui autem horas canonicas dicere nesciunt, sub certo numero dicentes orationem Dominicam, debita recõpensatione absoluuntur. Sunt autem per omnes ferè ciuitates, in partibus illis, huius religionis conuentus, quorum multi carnes, nisi in graui ægritudine, non manducant, nec camisijs, aut linteaminibus vel plumis vtuntur. Lectionibus autem & orationibus & laboribus manuum assiduè vacantes, desidiam & otij torporem à se studiosè repellunt. Conuersæ autem eorum ab hominibus huius religionis adeò seiunctæ sunt, & cum omni cautela & diligentia seorsum inhabitant, vt neque in Ecclesia, neque in alio loco, sese mutuo, nisi rarò, possint alloqui, vel videre.

Quando etiam ad prædicationem diuini verbi conueniunt, muro interposito à se inuicem plerumque separantur. Fratres autem eorum tam clerici, quàm laici litterati, à summo Pontifice, qui regulam eorum & canonica instituta confirmauit, auctoritatem habent prædicandi non solum in sua congregatione, sed in plateis & ciuitatibus, in Ec-
clesijs

clerics sæcularibus, requisito tamen consensu eorum, qui præ sunt locis illis, Prælatorum. Ex quo factum, quòd multos nobiles, & potentes ciues, matronas etiam & virgines prædicatione sua ad Dominum conuerterunt. Quorù quidam seculo penitus renuntiantes, ad eorum religionem transierunt; alij autem in sæculo corporaliter remanentes, licet cum filijs & vxoribus remanserint, humiliati, & mundi negotiationibus abstracti, in habitu religioso, & sobrietate victus, & operibus misericordiæ permanentes, vtuntur hoc seculo secundum Apostoli consilium, *velut non vtentes*. Sed & sacerdotes & clerici, fallacibus huius sæculi renuntiantes delicijs, assumpto paupertatis habitu regulari, prædictis Humiliatis sociantur. Ipsi enim in fine prædicationis suæ, dum adhuc audientium corda virtute diuini sermonis feruentia proniora sunt ad mundi contemptum, & ad Creatoris sui seruitium, solèt à circumstantibus quærere, qui sint, qui ad eorum religionem diuinitus inspirati velint transire. Multis autem in illa ebrietate & spiritus feruore ad ipsos transeuntibus, paruo tempore multiplicati sunt valdè, multos in diuersis ciuitatibus ex fratribus suis & sororibus conuentus procreantes. Adeò autem formidabiles hæreticis, quos *Patrini* *Patrinos* appellant, effecti sunt, & ita potenter & aperte fraudes eorum detegendo, *hæretici* *impios & incredulos ex diuinis Scripturis*

*Patrini
hæretici.*

pru

prudenter conuincunt, & publicè confundunt, quòd iam coram ipsis non audent comparere, multiq̄ue ex ipsis errorem suum cognoscentes, ad Christi fidem reuerfi, ipsis fratribus coniuncti sunt, & ita facti sunt discipuli veritatis, qui fuerant magistri erroris. Hi autem acriùs inter omnes notas sibi vulpeculas capientes, & cognitis sibi obuiantes erroribus, proprio gladio, more Dauid, colum abscindunt Goliæ, & tanquam fortis mulier Iudith caput obruncant Holoferni, & incidit inimicus in foueam, quam fecit. *Hactenus Vitriacus.*

CAPVT XIII.

Ordo Gilbertinorum, in Anglia.

Gilbertinorum Ordo, vtriusque sexus, in Anglia, per Beatum Gilbertum Sempingamum, natione Anglum, in Episcopatu Lincolniensi anno 1148. est institutus, & ab Eugenio III. approbatus. De quo vide Guil. Neubrigensem lib. 1. cap. 16. & VVionum in Ligno vitæ lib. 3. die 4. Februarij.

CA-